





Univ. Bibl. Halle / Saale

EX LIBRIS  
ILLVSTRISSIMI VIRI;  
DN. DAN. LVDOLPHI;  
LIB. BAR. de DANCKELMANN;  
S. REG. MAI. BORVSS. CONSILIARII  
STATVS INTIMI, cetera,  
BIBLIOTHECÆ ACAD. FRIDERICIANÆ  
TESTAMENTO RELICTIS.

H

Db. 6.  
Db. 6.

1.  
2.  
2.  
3.  
4.  
5.  
6.  
7.  
8.  
9.  
10.  
11.  
12.  
13[  
14.  
15.  
16.  
17.  
18.  
19.





1. Wircker, Balthas. Ἐπιτάφιος λόγος cineribus Cyriac. Herdesiani.
- 2<sup>a</sup> Schrader, Chph. Oratio memoriae Georgii Calixti habita.
- 2<sup>b</sup> " " " in obitum Conr. Horneji habita.
3. Schneider, Mich. " " " Jo. Gerhardi "
4. Pastorius, Joach. Joanni Casimiro, ... regi Poloniae et triumphales laureas facesq.  
in Prussiam suam inferenti felicem ingressum gratulatur.
5. Schuppium, Joh. Balth. Diss. praeliminaris de opinione.
6. Wendelin, Marc. Frd. Panegyricus parentalis Christiano sen. principi Anhaltino  
A. dictus a —.
7. Heider, Wolff. Oratio parentalis de vita et morte Christiani II., electoris, ducis Saxon.
8. Rixner, Anr. " De intestinis ecclesiae Christianae dissidiis.
9. Dresser, Matth. " De curriculo vitae Jo. Cratonis à Craßheim. Item meletemata  
quaedam Joann. Crat. plena fide et consolatione.
10. Lectus, Jac. " De principis Friderici Mauritii Anhaltini vita et obitu.
11. Jessenius, Jo. à Jessen. De vita et morte Tychoonis Brahei oratio funebris.
12. Sturcius, Chph. Oratio de Sigismundo Augusto, duce Megalopolitano. 5 Septbr. t.
13. [Ludovicus XIV], Epistola regis Galliarum — ad ordines imperii, cum libello ejusd.  
regis Plenipotentiarum [Roberti de Gravell], ordinum legatis ad  
comitia oblato pro obtinenda exemptione vel concessione eorum,  
quae ipsi tractatu Aquisgranensi e circulo Burgundico cesserunt.  
his juncta est epistola ad amicum hanc materiam exactius tractans.
14. Senatores Regni Sueriae, Literae — um ad senatores regni Poloniae super missione  
Morstenii internuncii Polonici.
15. Schrader, Chph. Oratio ad ducum Brunsvicensium et Luneburgensium legatos academiae  
Juliae visitatione strenue et feliciter perfunctos.
16. Morhof, Dan. Ge., Oratio de intemperantia in studiis et eruditorum qui ex ea  
oriuntur morbis.
17. Schrader, Chph. Oratio habita cum acad. Juliae magistratum adiret pro prid.  
Id. Januar. 1653.
18. Schrader, Chph. Oratio ad ducum Brunsvic. et Luneburg. legatos visendae ordinandae  
que acad. Juliae tertium missos.
19. Zaroadzki, Casim., Gloria orbi Sarmatico. et Mich. Korybut, regi Poloniarum etc., cum  
prima imperii spatia feliciter ingressus fuisset.

V. S.



20. Boecler, Jo. Hnr. Elogium Alph. Forstneri.
21. Freinsheimius, Abrah. Laudatio posthuma Jo. Freinsheimii.
22. Maresius, Sam. Brevis discursus de revolutionibus hujus anni  
[1672] ac nominatim de foeliciter soluto Groningae  
obsidio.
23. Status, fatalis Hungariae →, lapidi inscriptus loco Statuae  
erecto sub figura crucis in coemiterio Orientalis 1670.



De curriculo vitæ

9.

IOANNIS CRA-  
TONIS A' CRAFTHEIM,  
TRIVM IMPERAT. ROM.  
ARCHIATRI

ORATIO  
MATTHÆI DRESSERI.

*Item:*

MELETHMATA QVAE-  
DAM IOANN. CRAT. PLENA  
FIDE ET CONSOLATIONE.



Lipsiæ,

ANNO M. D. LXXXVI.

92

10







CONSPICVO NOBILITATE ET VIRTUTE VIRO,  
DOMINO IOANNI BAPTISTAE CRATONI  
à Crafftheim, sacri palatij Comiti, Domino  
& amico obseruando, Sal. pl.



QVOD VT FACEREM ME PIETAS & amor in Ioannem Cratonem, patrem tuum, summorumq; imperatorum trium archiatrum impulit, id oratione hac, quoad mea facultas tulit, exequi conatus sum. Nam & cursum vite, studiorum atq; actionum eius, quam breuissime potui, persecutus sum, & vt documenta pietatis, studij, diligentiae, industriae, virtutis atq; fortunae pene in singulis partibus monstrarem laboravi. Non sic tamen diligendum atque ornandum bene de me meritum Cratonem censui, vt vel laus immodica illi tributa, vel falsa à me afficta videretur: sed pro mea consuetudine simpliciter & candide exposui ea, quae Deus per hoc salutare organum summis, medijs, & infimis liberaliter tribuit. Nec infirmitatem etiam illius omnem silentio dissimulare, aut obtegere volui: ne turpi assentatione excusare fragilitatem communem viderer, quae ab homine mortali procul abesse non solet, & id solum praedicare, quod is magnum esse vult, cuius ad voluntatem dicitur. Quod neq; historici esse, neque oratoris tam ex sacris biblijs, quam ex profanis rerum monumentis discimus.

Vt autem virtutis, splendoris, amplitudinis ac gloriae paterna hereditas omnis ad te, Ioannes Baptista Crato, pertinet:



pertinet: sic nec oratio hac, quæ præconium vitæ præclare actæ patri tribuit, & magnorum in Rempub. meritorum testimonium dicit, ad alium, quam ad te mittenda fuit. Ac si quis ex recordatione laudis ac fortunæ parentum fructus à liberis percipi potest: fieri sane non potest, quin iucunda tibi sit oratio omnis, quæ patris tantæ studia atq; facta brevitate commoda, fide nulla mala exponit, & in memoriam redigit.

Fateor autem plerq; dici potuisse splendidius & copiosius, idq; rerum ipsarum magnitudinem etiam postulasse: sed nescio quomodo Pindari autoritas plurimū apud me ponderis habet, cum affirmat pauca de magnis dicere satis esse sapienti auditori. Huic ergo obsecutus simpliciter rem, ut habet, narrare, quam orationis florem sequi malui: ne forte dicendo voluisse viderer probabile facere id, quod sua natura incredibile esset. Confido autem eiusmodi genera monumentorum patris hoc breui scripto comprehensa esse, quæ & iuventutem erudire, & grandes oblectare, & omnium ordinum atq; ætatum hominibus utilitatem aliquam, tuo vero nomini & patriæ inclytæ laudem asferre possint. Nihil itaq; aliud oro & quæso, quam ut studium meum in te vivum, atq; rebus omnibus florentem, pietatem vero in patrem mortuum, sed beatum, & ævo sempiterno frucentem in partem optimam accipias. Vale, Lipsiæ, Cal.

VIIbris, Anno Christi Iesu

1586.

Matth. Dres.



DE IOANNE CRATONE  
ORATIO.



Vm medicos veteres cum nostris confero, etsi dissimilia multa reperio: non pauca tamen laude illustri celebranda, in vtrisque manifeste depræhendo. Veteribus enim acumen in inueniendo, prudentiam in iudicando, & grauitatem sententiarum iure omni tribuo: quod vt à primo ortu, diuinaq; origine propius abfuerunt: ita intelligentia etiam atq; sapientia posteros suos anteiuerunt. Nostris verò cogitandi solertiam, elaborandi industriam, & veterum inuentis lucem afferendi peritiam non immerito concedo, vt qui accepta à maioribus dogmata illustrarunt & amplificarunt. Ne longe abeam, Hippocratis medicinæ parentis, autoris & largitoris inuenta sexcentis annis post excepit Galenus, eaq; inculta & aspera sic explanauit & perpoliuit, vt ad ea accessio insignis facta sit. Galeni porrò commenta & scripta consequentes ætates non solum explicarunt, sed ponderarunt etiam, & cumulo magno auxerunt. Etsi igitur veteribus inuentionis laus iure omni tribuitur: tamen honos etiam recentibus merito habetur: quod dogmata antiquorum ingenio, cura, & industria sua elaborarunt, ampliarunt, & accessionem commemorabilem ad ea attulerunt.

In horum numero & loco non Italos tantum & Gallos artifices, sed Germanos etiam nonnullos duco,

A 3

& inter



& inter hos inprimis Ioannem Cratonem Vratislauensem, cui Deus omnia adiumenta, ad intelligendum, excolendum, & ad vsus vitæ necessarios coniungendum medicinam large liberaliterq; tribuit. Quod tamen si norunt, & verum esse æqui omnes intelligunt, nec negare vllus nisi inuidus, iniquus & maleuolus audeat: tamen cum DEVS ipse velit memoriam suorum beneficiorum, per homines ingeniosos atq; industrios nobis collatorum, nunquam ex animis nostris discedere, sed sermone grato celebrari: non tam Cratonis, cui plurimum me debere profiteor, quam DEI ipsius causa curriculum vitæ huius eximij Philosophi & Medici, quantum mea fides atq; pietas in eum postulat, persequar: vt, quæ quantaq; commoda summi, medij, & infimi per hoc salutare organum adepti sint, constare possit.

Cum præclara multa sunt in Ioannis Cratonis vita, tum illud etiam inprimis ad laudem eius pertinet, quod in ea Repub. natus est, quæ non tam amplitudine, splendore & opibus, quam artium literarumq; scientia cum optimis & moratissimis quibusq; ciuitatibus in orbe Christiano certat. Excepit enim illum in hanc lucem editum Vratislauia, cuius ea est dignitas atq; fortuna, vt in omni varietate rerum, quæ ad bene beatq; viuendum ferunt, excellat. Quemadmodum igitur ex patria decoris multum Ioanni Cratoni accessit: sic ipse vicissim patriæ suæ ornamenti & præsidij multum attulit. Nam & celebritatem illius auxit, ex doctrina nobilitatem & claritatem adeptus, & arte, consilio, operaq; multum adiuuit.

Incidit autem fato ætas eius in id tempus, quo de  
rebus



rebus maximi momenti & ponderis in imperio Germanico controuersiarum certamina extiterunt. Natus est enim Anno Christi supra millesimum quingentesimum decimo nono, Novembris verò die XX. quo ipso anno Carolus V. Imperator designatus est, & Lutherus primatum papæ contentione magna oppugnare coepit: vt initia maximarum mutationum non obscura sese per id temporis darent. Quæ quidem mutationes cum consequentibus annis in actum eruperint, fateri necesse est, annos Cratonis primos in ipsa epitali reformationis Ecclesiarum, & scholarum versatos esse. Nati sunt eodem Christi anno Theodorus Beza, & Rodolphus Guualterus, ille quidem in Gallia, hic autem in Heluetijs, quorum præter cæteros est nobilitata eruditio. Eos igitur Crato æquales se habere solitus est prædicare.

Parentibus editus est, haud maximis quidem fortunis, vitæ tamen grauitate & integritate plenis: patre Christophoro Craffto, cuius operæ Reipub. ad tempus bene longum magnò vsui fuerunt. Is ad summam senectutem vixit, & annos septem & septuaginta compleuit. Matre verò Anna Bidermanna, de qua pietatis & virtutis fama & opinio præclara fuit. In hos etiam mortuos amorem, studiumq; suum declarauit Crato, cum anno Christi 1557. monumentum è saxo faciendum eis curauit, in templi Elizabetani coemeterio, in quo hanc epigraphen versuum suorum tanquam elogium incidi atq; notari voluit.

*Hic mihi perpetua cari pietate parentes,  
Christophorus genitor, mater & Anna iacent.  
Ad tu-*



*Ad tumulum quorum meriti memor hoc loco saxum :  
Christo animas iunctas letor adesse D E O.  
Magna dies Domini renouati corporis vsum,  
Et dabit his vite gaudia parta fide.*

Prodiit ex Crafftorum familia quidam Augustinus Crafftus, cuius ipse Ioannes Crato meminit in proœmio consultationum medicarum Ioannis Baptistæ Montani. Professus est is Erffurdia Philosophiam & medicinam ante annos centum. Quod ipsum quoque ad laudem non tam Cratonis, quam patriæ ipsius pertinet. Plura de maioribus suis passim ipse ad amicos scribens commemorare solitus est, quæ petenda ab alijs, quibus magis perspecta sunt, censeo.

Pueritiæ atq; ineuntis adolescentiæ tempus discendis literis in schola patria, optimis disciplinis florente tribuit: præceptoribus vsus optimis & integerrimis viris, Andrea præsertim Vuieglero, & Bonauentura Roslero, quibus & pietate & amore officium debitum, quo ad vixerunt, præstitit. Nauarunt operam præclaram eidem ludo Baldaſſar Neander, & Martinus Heluigijs: quorum ea fuit in tradendis literis peritia, dexteritas, fides, & assiduitas, vt studia doctrinæ mirum in modum in celeberrima illa Repub. excitarint, & ad spem frugis & eruditionis eximiæ plurimos erexerint. Iccirco hos etiam Crato ætate prouectus præcipuo quodam amore sibi coniunctos habuit. Sic autem sese initia disciplinæ Cratonis dederunt, vt statim aliquod animi atque ingenij lumen in eo eluxerit. Ex quo quanti fructus tanquam in herbis non fallacibus secuturi essent cognosci potuit. Nam & præceptoribus spem summæ eruditionis attulit, & æquales in percipiendis

endis



endis disciplinis anteiuit. Quod quidem non tam laudandi Cratonis caussa commemoro, quam inflammandi gratia pueros, adolescentesq; , eos præsertim qui neq; caussam celebritatis & nominis, neq; opes à parētibus acceptas habent, vt & ipsi simul ac campum aliquem fors dedit, in quo excurrere industria, cognoscicq; ingenium possit, firmo animo rectisq; studijs ad eruditionem contendant. Quod non alia sit occasio maior ad commouendum mentes hominum, vt fauore & beneficio suo dignum censeant, quam si à puero signa dentur pudoris atq; industria.

Quod cum Crato de se fecisset, neq; fortuna neq; hominum beneficentia ei defuit. Cum enim satis iam esset, quod vixerat in patria schola, vel ad ætatem, vel ad doctrinam: diuinitus ei contigit, vt inclinatione voluntatis propenderent in eum primarij quidam ciues, & ipse etiam senatus complecti illum, & fouere coeperit.

Horum itaq; ope ac liberalitate adiutus, cum præsertim etiam autoritas præstantissimi viri Ioannis Hefsi, fidelis ecclesiæ in illa ciuitate pastoris intercessisset: VVitebergam profectus est primū, vt præter, literarum doctrinam præcipuo quodam studio & cura in theologiam incumberet. Ex quo sane intelligitur, eum qui ingenium ad complectendum disciplinas largitur, etiam facultates cæteras, quibus ad comparandū doctrinam opus est, suppeditare. Bene igitur se res habuit: Sumtus iam in Academia affluente liberalissimis studijs, ac doctissimis professoribus nactus erat Crato. Quid ergo? Theologiæ sese dedere debuit, quæ tunc è tenebris euocata caput efferre coeperat, & Reipublicæ

B

Vratis-



Vratislaviensi lucem gratissimam attulerat. Quam eadem etiam cum primis auide amplexa est, & constantia summa inter tot pericula atq; certamina, quæ tempora illa ferebant, retinuit. Dedit, & quidem præceptoribus præstantissimis Luthero & Philippo, in vtraque doctrina religionis veræ & literarum multum profecit. Quod quantum bonum sit, si cui contingit, iam minus multi intelligunt, qui parum interesse arbitrantur, quos audiant, aut à quibus doctrinæ, religionis atque literarum monumenta accipiant. Iccirco pauciores etiam hoc tempore ad fruges industriæ perueniunt. Nec vero audiuit solum Crato Lutherum attentè & sedulo, sed in eius familiaritatem etiam sese insinuauit, ac, vt sermonum eius, ac vitæ domesticæ particeps esse posset, laborauit, vt cibum cum eo communem haberet. Quod etiam assecutus est, & annos totos sex in suauissimo illius conuictu permansit. Quantum ab hac consuetudine deflexerit ætas nostra, ostendunt mores seculi huius, quo pleriq; studiosorum fugiunt præceptorum congressus, ne dum immergere sese in eorum familiaritatem studeant. Acciderunt quidem Cratoni in vita sua admodum gloriosa & iucunda multa: sed nihil tantopere prædicabat, & laudi sibi ducebat, quam quod Lutheri conuictor tot annos fuisset. Audierat ab eo, hauserat, acceperat tot sermones graues, tot voces suaues, tot acroamata festiua, vt eorum memoria nunquã ex illius animo, quo ad viuebat, discedere posset. Quin memoriæ causa non pauca tanti conuictoris dicta retulit in commentariũ manu sua, ex quibus, posteaquam emanarunt, volumen sermonum conuiualium, maxima ex parte confectum siue compilatum est.

Memini.



Memini eum in literis suis àd me, supremo penè vitæ tempore adhuc queri grauitè de libellis, qui Lutheri nomine satis inconsideratè diulgarentur, vel certe doctrinam eius præ se ferrent. Notior est mihi, inquiens, Lutherus, quam vlli hominum qui viuit, cum domesticus illius sexennium fuerim, & non solum eius conuictu, verum intima etiam consuetudine vsus sim. Omitto cætera, quæ temeritatem nostri seculi libertate quadam vocis non indigna tanto sene perstringebant. Errat profecto, errat, quicumq; negat Cratonem iudicium de rebus theologicis, quarum peritiam & vsu tantum consecutus erat, graue & limatum habuisse. Cum enim ad naturam eius eximiam accesserit ratio conformatioq; doctrinæ, ecquid dubitare quisquam potest, præclaram scientiam religionis illum esse consecutum? Nec propterea quod non omnia probauit, quæ noua ætas progenuit & venditauit, imperitus iudicandus est. Nec quod theologiæ professionem cum medica permutauit, abiecisse cœlestis doctrinæ cultum putandus est. Sed quod toto illo consuetudinis cum Luthero tempore imbiberat, & animo compræhenderat, id reliquo ætatis cursu sanctè coluit, auxit, cumulauit, perpoliuit, nec ad extremum deseruit, vt postea ostendetur pluribus.

Quæret quispiam, cur à tam sancta theologiæ professione ad medicinæ studium cultumque sese Crato conuerterit? Quia cœlestis doctrinæ cognitio inprimis quidem curæ esse debet cunctis; sed interim non licet solum, sed decet etiam videre quemq;, ad quam rem aptissimus sit, vt in ea potissimum elaboret. Quod cum in se fecerit Crato, num repræhendi iure eius factum



potest? Nec tamen ipse solum, quo natura propenderet, perpendit, sed cum eo etiam Lutherus, acerrimus ingeniorum iudex, perspexit, ad colendam medicinam illum magis esse idoneum. Prospexit, credo, nescio qua animi diuinatione permotus, quantus & Philosophus & medicus ille esset futurus. Itaque literas ipse ad Senatum Vratislaviensem dedit, quibus diligentiam, fidem, solertiamque Cratonis mirifice prædicauit, & ut bona illius venia liceret ipsi medicinæ studium sectari petijt. Qua quidem in re non solum præconium tributum, sed etiam graue testimonium clari hominis magnique Cratoni impertitum est. Iure igitur apud Senatum ponderis tantum habuit, ut Cratonem medicinæ sese dedere pateretur.

Quem autem animum, fidem, amorem & studium Luthero præstitit Crato, idem etiam Melanchthoni, alteri Academiæ lumini, & præceptori omnium, quos sol vidit, felicissimo, declarauit. Nam & diligentia summa illum docentem audiuit, & omni pietate coluit: tum id operam enixe dedit, ut quam coniunctissimus illi esse posset. Ut autem natura fuit perspicax Melanchthon, & sui similibus ingeniorum appetentissimus atque amantissimus: ita Cratonem præter ceteros ex tanto discentium coetu sibi delegit, in quem officia liberaliter conferret, & vim quasi quandam amoris effunderet. Nec id immerito. Nam ex assiduitate eius, quam in audiendis lectionibus adhibebat, mirificam voluptatem capiebat: & ipse etiam Crato ingenij & morum Melanchthonis vim atque suauitatem admirabili solertia consequebatur. Non mirum est igitur tam arctum coniunctionis amorisque vinculum inter vtrumque ex-



que extitisse, quod postea nullo locorum interuallo, nullo temporis momento dissolui potuerit.

Quemadmodum autem Lutheri conuictu atque consuetudine merito gloriatus est Crato: sic Melancthonis coniunctione atq; necessitudine, nihil sibi honestius, nihil laudabilius esse existimauit. Et habuit profecto causam lætandi atq; gloriandi de vtroq; , omnium bonorum votis optandam ac sermone celebrandam. Quid enim per Deum immortalem præstabilius fuit in orbe Christiano his duobus luminibus? Eorum igitur conspectu, voce, doctrina, consuetudine & necessitudine vsum esse quanti tandem æstimabimus? Vere beatus tunc fuit Crato, cum à latere vtriusq; Doctoris nunquam discessit, sed in medullis vtriusq; hæsit. A quibus, bone Deus, quot & quam præclara documenta capere pietatis, virtutis, patientiæ, constantiæ, magnanimitatis, prudentiæ licuit? Longe alios fuisse viros dicebat quam nunc multi, nescio quo opinionis errore sibi fingunt, qui vel de autoritate eorum aliquid detrahere, vel alia nescio quæ illis affingere non verentur. Qui, si viuentes hosce totius Christiani orbis præceptores intuerentur, vix ardorem vultus atq; oculorum sustinere possent, nedum obsistere aut obgannire auderent. Quam vellem hoc persuaderi multis hodie etiam posset adolescentibus, vt Cratonis exemplo præceptores crebro adeant, & quoad possunt, illisq; licet, cum ijs viuant, dictisq; eorum & prudentia doctiores fieri studeant. Quod cum impetrari neq; verbis, neq; monitis à plerisq; possit: indies spes mea de fructu studiorum, qui ad posteritatem redundare debet, magis infringitur atq; languescit.

B 3

Neq;



Neq; vero didicit solum literas in Academia VVitenbergica Crato, sed quod percepit atq; compræhendit, id liberaliter ad aliorum vsus in docendo contulit. Nam scholas priuatorum præceptorum more habere cœpit, & Dialecticæ aliasq; artes bene vtiliterq; tradidit. Imbiberat iam Melanchthonis in docendo methodum, hauserat præcepta artium, tenebat modum in explicando perspicuum, aptum, breuem, facilem. Rectè ergo docere alios potuit, eandemq; rationem in discendo pariter & docendo per omnem vitam retinuit ac secutus est. Quod scripta eius quæ reliquit abundè comprobare possunt. Res enim quas sibi tradendas sumsit, admirabili breuitate & perspicuitate persecutus est, ordine bono distribuit, & genere orationis dilucido exposuit, vt nihil neq; affluat neq; desideretur.

Ac Philosophica quidem medicaq; omnia plane & perspicue expediuit: quod docti & intelligentis esse viri Cicero censuit. Quæ vero lumen orationis & quandam copiam requisierunt, ea ornate grauiterq; expoliuit: quod oratoris esse idem autor scribit. Hoc præclarum artificium docendi atq; scribendi in schola Melanchthonia didicit, & postea ad medicinam, aliarumq; rerum tractationem attulit: vt facultatem haberet explicandi animi sui sensa voce & scriptis disertè, distinctè, polite & perspicue. Quo nomine etiam carissimus fuit Melanchthoni, qui laudem orationis puræ, elegantis & bene latinæ illi tribuit: vt cum documentum orationis bonæ statuendum esset, Cratonis dictionem nominaret.

Itaq; si causam quærat quispiam, cur tam eruditus medicus extiterit Crato, & quare certatim ab omnibus, qui



bus, qui iudicare de ingenijs atq; doctrina potuerunt, amatus sit: prope dixerim vnā hanc scribendi facultatem ei adiumento ad consequendum tantum decus fuisse. Ac de doctis quidem viris, quibus cum coniunctissime amantissimeq; vixerit, postea dicam. Nunc dicendi & scribendi facultas, quæ eximia in Cratone fuit, prædicanda est pluribus, vt qua arte illam pararit, magis constare possit, & alij etiam ad imitationem eiusdem artificij incendantur.

Melanchthonem ducem secutus est, & Ciceronis scripta, Græcorumq; autorum monumenta auide, quasi diuturnam sitim explere cupiens, cognouit. Eamq; viam vnā sibi ad eloquentiam muniuit. Cum lectione autem coniunxit scribendi curam & exercitationem, qua id se affecutum esse sæpe amicis dixit, vt scribendo scribere disceret, vel potius proficeret. Nec occultandas esse prorsus exercitationes suas existimauit, sed foras proferendas, vt aliorum iudicia subirent, & suum ipse magis conformaret, iudicauit. Itaq; ad viros magnos etiam iuuenis scribere coepit, & cum indies cura in elaborando maior accederet, principium inde se habere bene scribendi fassus est.

Quid hodie fiat patet, in promptuq; est omnibus: pauciores in dies singulos incipiunt esse eruditi. Quæ querela nimis vera est & peruulgata. Sed vnde est tanta eruditorum penuria in tanta scholarum & academi-  
arum copia? Verè si rem æstimare volumus, causam aliam non reperiemus, quam quod adolescentes iuuenesq; studia literarum negligunt, quæ ad facultatem recte intelligendi dicendiq; ferunt. Alij ad theologiæ cultum, alij ad iuris scientiam, nonnulli etiam ad medicinae



dicinæ professionem sese applicant & adiungunt: Sed quotus quisque eorum prius instruit sese ea facultate sermonis Latini & Græci, quæ penè vna Cratonem extulit, & medicum celebrem effecit?

Quoniam ergo media ad eruditionem solidam ducentia pleriq; aspernantur: fit etiam vt pauci doctrinã veram assequantur. Certe qui in aulis sunt sapientes & eruditi consiliarij, qui in quibuscunq; Ecclesiæ aut Reipublicæ partibus reperiuntur docti theologi, iurisperiti, qui in Academijs reliqui sunt professores eximij, ista facultate, quæ vna maxime Cratonem commendauit, præditi sunt. Quod si studium hoc eloquentiæ, aut cura dicendi in scholis cessauerit: quæ tandè doctrina, quæ orationis copia atq; facultas in aulis, in Ecclesia in Academijs, & cæteris vitæ muneribus erit reliqua? Ex VVitembergensi Academia in Lipsiensem sese contulit, vbi studium & operam in res minime obscuras, sed vtilis & laude dignas posuit. Suscepit inprimis curam erudiendi Comitem Berthamensem, cuius ingenium ad percipiendas literas aptum atq; propensum fuisse accepimus, Huic Dialecticæ atq; dicendi artis præcepta exercitationesq; tradidit, quemadmodum à præceptore Melanchthone didicerat. Tum alios etiam docuit, qui methodo eius Melanchthonia delectati sunt. Sunt enim, quos detrahere de ea non pudet, propter simplicitatem fortasse, quæ sublimia sectantibus & grandia affectantibus non potest non despiciatui esse. Exarsit præterea mirabilis quædam beneuolentiæ magnitudo & amoris vis inter Camerarium & Cratonem, tanta vt eam postea nulla res minuere potuerit, sed vsus & ætas magis magisque indies corroborarit.

Conci-



Conciliauit, credo, atq; deuinxit eos ingeniorum atq; studiorum similitudo quædam, tum scribendi etiam facultas, quæ in utroq; erat excellens: In Camerario quidem accurata & ad veterum imitationem directâ: in Cratone vero lenis, perspicua, polita tamen & elegans. Quod vinculum est, ut mihi quidem videtur, ad copulandas eruditorum hominum voluntates inprimis idoneum & efficax. Scimus Camerarium coniunctissimum habuisse Melanchthonem officijs, vsu, consuetudine, & consiliorum pene omnium societate: nec facile inueneris amicos, qui per literas sæpius collocuti sint. De Cratone tamen affirmare nihil dubito, eum in hoc genere concessisse nemini, sed diligentissimum quenq; etiam superasse. Vnde ad Iacobum Monauium aliquando ipse dixit Camerarius, se ad nullum amicorum omnium, quos haberet, plures dare literas, quam ad Cratonem, nec vlla tamen assiduitate exple re satis officium scribendi posse, quin ab illo vinceretur.

Erat temporibus illis iucundus alijs multis in Academia Lipsiensi, quicumq; iudicare aliquid de ingenijs poterant: Viuebat cum Leonharto Badehorno Iurisconsulto, colebatur à VVolffgango Meurero Philosopho & medico, amabatur à Martino Drembeccio collegij medici seniore, & totam domum Camerarij deuinctam consuetudine tenebat. Ex quo Caspari Iungermanno Iurisconsulto, Camerarij genero etiam familiaris factus, in amicitia eius permansit, quoad vixit. Estq; virtutis atq; felicitatis cuiusdam singularis, quod qui semel eum in iuuentute amplexi sunt, & diligere coeperunt, ij ad supremum vsq; tempus vitæ carum habuerint.

.C

Lipsia



Lipsia decedens in Italiam cogitavit, probe iam scilicet perceptis literis atq; disciplinis, atq; adeo etiam medicinae fundamentis iactis. Cum autem ea esset fama eius celebritas, ut absentibus iam notus esset, facile nactus est in hoc itinere, à quibus non solum cognitione & hospitio, sed etiam beneficio quovis dignus existimaretur. Inprimis verò expertus est liberalitatem patriciorum quorundam Augustæ Vindelicorum, Heruuarthorum, & Heinceliorum fratrum, Pauli, & Iohannis Baptistæ: quorum hi etiam vna cum eo profecti sunt, & consuetudinem amicitiamq; cum illo iunxerunt, quæ ad omne tempus vitæ duravit. Præter cæteros verò Ioannem Baptistam Heincelium consulem sic dilexit, & vicissim ab eo ita dilectus fuit, ut multa & magna inter eos officia & paria & mutua intercesserint, ac vix explere alter alterum scribendis literis potuerit. Horum verò patronorum & amicorum tantorum in se merita prædicare nullo ætatis suæ tempore destitit, sed potius quæcunq; adeptus esset commoda atq; ornamenta vitæ studiorumq; illis, secundum DEVM immortalem, memori mente tribuit, & accepta retulit. Ita viaticum, quod parentum domo non magnum extulit, in omni loco & tempore peregrinationis suæ inuenit, primum Senatus patriæ, & quorundam civium ope, postea Heruuarthorum & Heinceliorum adminiculo: ut satis appareat DEO curæ magnæ esse, ne victus & subsidia studiorum desint his, quibus propositum est, ut literis atq; disciplinis sese instruant, quo patriæ ornamento & utilitati esse possint. In Italiam ubi venit, nihil ei potius fuit, quam ut ex professoribus cunctis cum sibi deligeret, quem tota mente atq;

omni



omni animo intueretur, adeoq; etiam imitando confectaretur. Is erat Ioannes Baptista Montanus, medicus Veronensis, qui antiquissimorum medicorum, Hippocratis & Galeni scripta non solum rectè intellexit, sed commodè etiam, perspicue, diserte, & ordine explicuit, illustrauit, expoliuit, ita vt ante oculos posuisse & collocasse in quotidiano vsu doctrinam eorum videatur. Hunc igitur attente diligenterq; audiuit, magnificit, coluit, amauit, illi se totum tradidit, in ipsius doctrinam mentem & cogitationem defixit, omniaq; eius dictata consequi memoria & complecti scriptis studuit. Aditum verè ad Montanum comparaauerat ei Philippus Melanchthon, qui literis suis de meliore nota illum commendarat. Easq; literas gratissimas fuisse Montano certum est. Tali ergo duce ac præceptore breui id assecutus est in arte medica, quod antea præceptoribus Luthero & Melanchthone VVitembergæ in literis, artibus, disciplinis, & Theologia acquisiuerat: vt de philosophia & medicina vniuersa non solum rectè iudicaret, sed de iisdem etiam methodo & ordine certo differere, scribere, docereq; posset, non minori fortasse luce, perspicuitate & utilitate, quam Montanus ipse fecerat. Si enim præstantiam ingenij Montanici imitatione minus forte consequi potuit: voluntate certe, iudicij subtilitate, & explicandi facultate proximè accessit. Tantum refert, quali præceptore in percipienda quacunq; disciplina vtamur. A quo enim erudimur, eius doctrina & methodo imbuimur: vt similes illi plerunq; euadamus, siue bonus sit, siue malus. Quod contigisse Cratoni videmus, qui præceptoribus optimis optimus & ipse philosophus & medicus est



cus est factus. Ac placet hic epigramma Cratonis subijcere, quod in principio libelli sui de peste, anno Christi 1555. collocavit: vt documentum inde imitationis bonæ tam medicinæ, quam reliquarum disciplinarum studiosi capiant:

*Hæc ego sic scripsi, vt persuasit amabile verum:*

*Fortunam veri fultus amore feram.*

*Et ne cornicum videar configere ocellos,*

*Hunc animi sensum noueris esse mei.*

*In veterum scriptis veneror venerabile rectum,*

*Montanumq; colo, Ferneliūq; sequor.*

*Ingenijs faueo summis, quæcunq; det illa*

*Aetas: Inuentis addere recta placet.*

*Deniq; cum studijs vix vllus sit satis annus,*

*Qui noua contemnit, discere pauca potest.*

Quanti autem ipse Montanus vicissim fecerit Cratonem, cum alia plura, tum epistolæ eius ad hunc scriptæ indicio esse possunt. Harum vna in volumine consultationum Montani extat, quas Crato pia quadam in præceptorem affectione, & communis etiam utilitatis prouehendæ studio incensus diulgauit. Postquam verò medicinæ scientia & exemplis illustribus auctus est, præcipuorumq; doctorum gratiam atq; amorem sibi conciliauit: in Germaniam redijt, & Augustæ Vindelicorum aliquantisper substitit. Vbi cum fama de illo in aula imperatoris Caroli V. qui conuentum per id temporis ibi agebat, percrebuisset, ad faciendam medicinam nonnullis ægris in ea adhibitus est. Quod ille tanquam omen apud amicos interpretans, futurum se aliquando Cæsareum Medicum auguratus est. Inde in patriam recta contendit, cui cum nauare operam



operam & studium suum omne cuperet, ad coniugium applicuit animum suum. Nec multo post in matrimonium duxit honestissimam puellam, Mariam Ioannis Scharffij, viri optimi & integerrimi, senatus, Reiq; publicæ Vratislaviensis scribæ primarij filiam, nempe anno Christi 1550. die Decembris 9. Cum hac annos vixit XXXVI. sobolemq; ex ea suscepit non quidem copiosam, sed raram & vehementer caram: filium vnum Ioannem Baptistam Cratonem, & filiolas duas, Annam, & Annam Mariam. Ac filius quidem hæres atq; successor est non tam bonorum omnium, quæ pater satis ampla reliquit, quam splendoris, insignium atq; ornamentorum, quæ idem ex trium Cæsarum Romanorum aulis in domum atq; familiam suam primus importavit. Filiaæ verò ambæ in primis ætatis annis è vita cesserunt. Iccirco cum aliud nihil esset, quo mortuus pater eas prosequeretur atq; ornaret, saxum posuit in eo loco, qui parentes illius excepit, & versus hofce epitaphios insculpsit, quibus seipsum & matrem solaretur.

A N N A E, E T A N N A E M A R I A E  
F I L I A B V S D V L C I S S I M I S.

*Vos etiam ignotas mundo, sed sanguine mundas  
Christi, commendat cura paterna pijs.*

*Imperio mortis superato vivite Christo,  
Et capite æterna gaudia leticia.*

*Me quoq; qui senio propior properantibus ad vos  
Cursibus aduento, suaviolo excipite.*

*Vivemus, spes hæc iubet hinc discedere letos:  
Non moritur massa portio, Christe, tua.*

C 3

anno



anno Christi M. D. LXXVII. Quoad vero in patria hæsit, nihil aliud studuit, quam ut senatui ciuibusque cunctis lumen ingenij sui ostenderet, officijque constantiam atque fidem abundè probaret. Et præstitit sanè in hoc campo diligentiam, animum, & voluntatem eam, ut perspici inde cognoscique ipsius solertia, cura & industria etiam ab exteris potuerit. Hinc ergo euenit, ut ab alijs etiam expeteretur eius in medendis morbis opera. Et accidit percommode, ut in aulam Sacratissimi imperatoris Ferdinandi veniret: Vbi cum industriam, fidem & diligentiam suam optimis quibusque probasset, fieri quædam ad spem bonam inclinatio visa est. Inprimis vero laborarunt magnifici, & sapientia, eruditioneque maxime conspicui viri, D. Sigismundus Seldius Sacri Romani imperij, & D. Georgius Mehl, regni Boiemici, procancellarij, ut eum rebus omnibus quam maxime ornarent. Imo nec quiescendum quidem sibi esse arbitrati sunt, priusquam in aulam illum attraxissent. Itaque suafores Cæsari Ferdinando fuerunt, ut medicum illum intimum sibi ascisceret.

Hac via honesta prorsus & legitima ex patria in aulam migravit Crato, & D. Ferdinando operam & fidem iucundam acceptamque nauauit. Nec consultationibus medicis solummodo eius delectatus est optimus ille imperator, sed in alijs etiam rebus pluribus eiusdem consilio uti consuevit. Quin ad extremum usque spiritum vitæ dilexit eum, & in morbo illo suo graui & mortifero non minus consolationes eius, pietate plenas, quam curationes admisit. Crato vicissim operam & studium, quod domino suo debuit, tanta sedulitate & fide præstitit, ut ab eo, quo ad spiritum duxit, non discesse-



discesserit. In tali igitur coniunctione sapientissimi imperatoris quæ dicta præclara non audiuit? quæ consilia salutaria non percepit? quæ facta memorabilia non spectauit? Equidem adeo fuit ijs incensus illius animus, vt constituerit atq; cœperit etiam orationem de hoc imperatore scribere. Mortuo autem imperatore Ferdinando, etsi reditum in patriam ad ocium literarium, & ad inseruiendum ciuibus suis vnice optauit Crato: tamen causæ fuerunt grauissimæ, quæ permansionem in aula Cæsarea suaserunt. Nam & Cæsar Maximilianus operam illius requirebat, & amici, ipsaq; adeo æquitas ad obsequendum clementissimæ voluntati Cæsaris hortabantur. Itaq; fidem imperatori de integro dedit, eamq; omnibus rebus sic declarauit, vt duodecim annis in intima illius consuetudine hæserit. Quæ laus integritatis & cōstantiæ profecto magna est, & paucis contingit.

Tali verò tempore bene longo, quæ studia, quæque actiones illius fuerint, longum esset commemorare. Illud profecto constat, in omni varietate curandorum morborum insigniter versatum atq; exercitatum esse. Non enim operam suam vlli denegauit, sed hanc vnã è præcipuis voluptatibus, quas in aula perciperet, esse ad amicos sapius dixit, si commodaret plurimis. Itaq; non morbis solum curandis, quoscunq; potuit, iuuuit, sed multis etiam intercessione sua apud Cæsaream maiestatem, gratiam, priuilegia, honores & alia pene innumerabilia beneficia impetrauit, immo è periculis magnis interdum aliquos eripuit: quod multorum, qui viuunt, testimonio comprobatur. De fide autem in imperatorem quid attinet dicere? Satis est ad testimonium &



nium & laudem integritatis & fidei, in intimis fuisse imperatori: quod vsum singularem & quasi domesticam quandam consuetudinem iucundam & gratam indicare videtur. Curam certè maiorem, quam quiscquam cogitando facile assequi potest, attulit illi Cæsaris tam infirma diuturnaq; valetudo, quem supra annos viginti cordis palpitationem, malum sæuissimum sensisse, in oratione de vita D. Maximiliani ipse scribit. Nec id solum, sed accesserunt alia multa: vt non pauciores fere dolorum species, quam imperij dies numerari in optimo imperatore potuerint.

Quantam igitur sollicitudinis & negocij molem toto illo tempore sustinuerit Crato, ipsa rei magnitudo declarat. Secutus est eum Ratisbonam ad comitia, vbi morbum ingrauescere quidem cum dolore magno vidit, & ad hydropem aliquando erupturum præuidit. Sed quoniam fatalis dies aduenerat, consilij atq; remedijs humanis loci nihil relictum erat. Itaq; ad id solum, quod concedebatur, confugiebat, & Cæsari morienti non minus quam patri illius Augusto Ferdinando, officium atq; operam fidelem & gratam, donec extremum halitum efflaret, tribuit. Fuit in animo Cratoni singulis consequentibus annis vitæ suæ orationem vnā de Maximiliano II. scribere, atq; diuulgare, vt quæ ab eo vel audiisset, vel geri meminisset memorabilia, orbi Christiano nota faceret: ad eum ferme modum, quo in Academia Lipsia duci Electori Saxoniae Mauritio parentalia, & VVitenbergæ Philippo Melanchthoni iusta anniuersaria, memoriæ ac pietatis perpetuæ causa, solui viderat. Sed ab eo etiā incepto conatuq; honestissimo incommodis quibusdā depulsus est.

Erat



Erat iam ætate affecta ac viribus infirmis Crato. Iccirco è viuis sublato Maximiliano, à diuturnis curis atq; laboribus ad ocium illius animus deflectebatur. Sperauerat utiq; duobus imperatoribus inseruiſſe ſatis eſſe & ad fidem & ad gloriam: huc ſi quid accederet, & ſibi & patriæ acceſſurum. At aliud longe viſum fuit DEO, & imperatori Rudolpho II. qui ſcientiam & uſum Cratonis mirificum in re medica tanti fecit, ut retinendum in aula plane ſtatueret. Quod cum recuſare penitus integrum non eſſet Cratoni, obligauit quidem fidem ſuam, ſed precibus tamen id obtinuit, ut neceſſitate commorandi aut reſidendi in aula minus aſtrictus eſſet. Tali ergo conditione liberiore quidem multò quam ante, remanſit aliquantiſper in aula, ſed excurrit ſæpius in prædium, quod in comitatu Glaceniſi, regno Boiemiæ finitimo poſſidebat. Vbi animi & corporis requiem aliquam quærebat: & res tamen nihilominus ſuas obibat, & cum Muſis, id eſt, cum humanitate, & cum doctrina commercium habebat. Ex quo Rucurianum appellatum prædium apud amicos per iocum ſic interpretabatur, quaſi è germano & latino eſſet compoſitum nomen, & quietem ſiue reſpirationem à curis ſignificaret. Plurimum tamen, in patria verſatus eſt, ubi & conſilijs dandis, & medendis morbis quibuſcunq; potuit, profuit, & monumentis uſiſſimis conſecrare memoriam ſui nominis ſtudit.

Conſpectum fuit veſtibulo Muſæi ipſius inſcriptum hoc memorabile diſtichon, quo genus ſtudiorum omne, quod inde uſq; à peritia ad vltimam ſeneſtam ſecutus eſt, eleganter exprimitur.

D

Hic



*Hic Crato cum medicis Musas coniungit amœnas,  
Nostrum opus & vitam Christus Apollo regat.*

Incidit autem in morbum grauem, ex quo nec recreari nec euadere potuit. Quicquid ergo temporis ad viuendum in patria concessum fuit, id pijs meditationibus, scriptionibus, & temporibus amicorum transmissit, ac in lecto ferme consumere coactus est. Memini eum anno isto, qui discessum illius ex hac vita antecedebat, queri de morbi difficultate, quam indies sentiret augeri: non quod corporis vires in tam ingrauescente ætate sibi optaret magnas, sed quod elaborare atq; perficere ea quæ susceperat non posset. Nihil mihi, inquit, tam concedi ac tribui à DEO quotidie in votis meis postulo, quã vt ad libros meos reuerti mihi tandem aliquando liceat, & quæ in manibus habui, perpolire. Intelligebam eum opera moliri vtilia, si valetudo passa esset eum in prædium venire, vbi incoarat nonnulla, quibus manus extrema nondum accesserat.

Dolebat inertem esse senectutem suam, vi morbi oppressam, quam operosam esse ipsi gloriosum, & posteris fructuosum erat futurum. Correxit tamen paulo ante obitum, & auxit libellum suum de pestilentialium morborum præseruatione & curatione, in ipso misero diuturnoq; morbo, qui intabescens illum non multo post interemit. In eo sanè id præstitit, quod Musarum cultorem imprimis decere Græcus quidem poëta censet: vt quæ depræhenderat, obseruarat, notarat, vsu & experiundo in se & alijs cognorat, ea vniuersa liberaliter cum alijs communicaret. Quin secreta quæ antea habuerat & occultarat, ea in hoc opusculo effudit, & in vulgus peruulgauit.

Edi tum



Edi tum quoq; passus est à Petro Monauio commentationem suam eruditam & accuratam de febris putridæ & contagiosæ, vel vt ipse appellare maluit, priuatæ & publicæ discrimine. In qua quidem commentatione, non popularis iudicij, sed senilis ingenij atq; prudentiæ specimē inſigne dedit. Ac fieri quidem poteſt, vt in re difficili & in magna varietate verſanti variæ etiam & diuerſæ ſint opiniones: in his tamen haud ſcio an non plurimum, vel certe non minimum ſit tribuendum Cratoni, quem æqui pariter & iniqui ſciunt temere nihil effutiuiſſe, ſed cum uſu & experientia conſilium & rationem ſtudioſe coniunxiſſe: Vt inuadi aut repræhendi iſto nomine non facile à quoquam debeat. Quod ſi meliora tamen quis vel inuenire, vel proferre poſſit: iſ ſciat humanitatis eſſe & officij, ea ad aliorum uſus conferre, ſine cuiuſquam contumelia & obtreſtatione.

Memini Cratonem in lecto decumbentem de putredine, quæ tunc in diſceptationem vocata erat, parce ac modeſte mecum diſſerere, cum controuerſiam omnem dirimi facile poſſe diceret, ſi modo quid vterque Ariſtoteles & Galenus in definienda putredine ſpectaſſet, conſiderare vellemus. Ariſtoteles enim, aiebat, definit putredinem velut corruptionem iam factam: Medicus verò tanquam eam quæ iam fit, ſiue in via eſt. Verum cum hæc tota eius ſententia luculente in aſſertione edita exponatur: non eſt quod ego proſequar pluribus. Oſtendere ſaltem volui ἐν παρόδῳ æquitatem animi atq; iudicij Cratonis de diſputatione plena quidem concertationum, ſed quæ expediri tamen nullo negotio magno poſſit, ſi modo in mediocri ex-



plicatione acquiescere mentes velint.

Anno Christi octogesimo quinto, Iunij vero die 3. coniugem suam, cum qua annos, ut dixi, triginta sex coniunctissime amantissimeq; vixerat, amisit. Quo casu grauissimo ita perculsus est, ut in moerore & luctu reliquum vitæ spacium omne contriuerit. Hoc vno tamen consolari se videbatur, quod confideret, non longinquum inter se & coniugem digressum ac discessum fore. Profecutus est eam epigrammate amoris & pietatis coniugalis pleno.

*Quid tibi pro meritis, coniunx fidiſſima, præstem,*

*Quo satis extremo fiat & officio?*

*Fundo gemens lacrymas, ac te sequor, ut bene puris*

*Iungamur Christi sanguine cælicolis.*

Erat is annus pestilens & funestus, quo multi ciuium quotidie extincti efferebantur. Et qui dignitate & fortunis aliquid valebant, sedibus relictis, vrbe cesserant. Cratonem vero affecta valetudo sic lecto affixum tenebat, ut se mouere loco non posset. Itaq; desertus à vicinis & familiaribus plerisq; viuere ærumnosius cœpit. Sed venit hoc ipso graui tempore fatalis dies, & finem viuendi attulit. Nec populari tamen, siue epidemio illo morbo arreptus perijt: sed marasmo extinctus est, qui in decrepita ætate solet accidere, absumto calore natiuo. Vnde mors fere sine sensu doloris consequi solet, ut Galenus ait. Accessit tamen catarrhus, cuius vi suffocatus è vita tandem migravit, in vera agnitione, fide, & inuocatione mediatoris nostri vnici, qui via est, dux & autor ad eam vitam, quæ sola est vita nominanda in cœlis. Huic enim sese totum commendauit, ab hoc peccatorum suorum remissionem petiuit, in eius.



eius sanguine & merito omnem suam fiduciam & spem  
 fixit, ab eo deniq; ad vitæ sempiternæ societatem, læ-  
 ticiam & beatitudinem sese è tumultu suscitatum iri  
 credidit. Quippe in animo & ore habuit dicta quæ-  
 dam ex media scriptura cœlesti, & ex veris fontibus  
 Israëlitis petita, quibus sese insigniter in medio mortis  
 agone recreauit ac confirmauit: cuiusmodi fuit illud  
 Pauli: Scio cui credidi, qui etiam potens est ad custo-  
 diendum depositum. Item memento Christum reuixif-  
 se è mortuis. Et vel inprimis hoc Christi: Ego uiuo,  
 & vos uiuetis. Ad summam, nihil nec cogitauit nec di-  
 xit, nisi de vno mediatore Christo, ac precioso eius  
 sanguine, quem dulcissimo nomine panaceam appella-  
 bat omnium morborum ecclesiæ, eoq; ἀλεξιφάρμακον  
 omnem doloris ex peccato sensum absterfit atq; restin-  
 xit. Bene igitur mortuus est, quoniam ad mortis do-  
 minum & victorem confugit. Iustus est, quia iusticiæ  
 fontem & autorem apprehendit. Beatus est, quia bea-  
 titatis datorem inuenit. Saluus est, quia salutis veræ  
 portum attigit. Viuit, quia se ad eius, qui vita ipsa est,  
 ductum applicauit. Vere Dei hæres est, cohæres au-  
 tem Iesu Christi: quia verbo Christi credidit, & sacra-  
 mentis usus est. Affuit morienti Ioannes Hermannus  
 medicus Vratislauenſis Reipub. solers inprimis, inte-  
 ger, pius, & multum exercitatus. Is cum morte con-  
 flictantem sedulo consolatus est, & mortui tandem ex-  
 tremum spiritum excepit, oculosq; clausit. Factum est  
 id anno Iesu Christi supra millesimum, quingentesi-  
 mum octogesimo quinto, Nouembris die nono. Ante  
 mortem vero ea meditatus est & parauit, quæ ad mor-  
 tis iter ingrediendum magna præparatio esse solent.

D 3

Id quod



Id quod epitaphium, quod sibi ipsi fecit, plenum amore & fiducia Christi mediatoris, indicat.

*Saucius inuidia morsu, sed vulnere sanus*

*Christe tua iacet hic in requiete Crato.*

*Conscia mens recti, Christo confidere docta*

*Omnia fert, ferat ut, scire Deum, satis est.*

Exposui curriculum vitæ Cratonis, quod tametsi satis esse lectori possit: pauca tamen de moribus, fortuna, & dignitate adiicienda videntur. Pietate equidem in Deum eximia fuit, percepta à Luthero & Philippo cœlestis doctrinæ fundamenta per omnem ætatem coluit, legit scripta prophetica & apostolica, cognouit ecclesiæ veteris & recentis certamina, controuersias, dogmata, decreta, nec inter hostes Euangelicæ doctrinæ versans de fidei & sententiæ suæ professione quicquam remisit. Quod constantiæ esse, quod Christiano dignum omnes iudicamus. Quanquam autem omni ætatis suæ tempore tantum huic studio tribuit, quantum à publico officio, & medicæ professionis munere vacauit: plurimum tamē supremo vitæ tempore Theologicorum scriptorum lectione delectatus est: adeo quidem ut posthabitis rebus omnibus, totum sese in ea collocarit.

Audita est ab amicis pluribus hæc plena pietatis vox ab eo missa: *Τάυτη μελέτησις ἐμοῖ ὡδρασκὼν ἐστὶν ἀρίστη πρὸς εὐθανασίαν καὶ ἀθανασίαν.* Non pauca etiam ipse notauit & conscripsit, quæ testes esse perpetui meditationum eius & commentationum religiosarum possunt. Solitus fuit quædam etiam versibus comprehendere in lecto decumbens, quos cum amicis communicauit, & nonnullos quoque edidit. Horum quot-quot



quot ad me miserunt amici, ad finem orationis adijci-  
 endos curavi. Plures multo apud filium Ioannem Ba-  
 ptistam Cratonem reliqui sunt. Impertuit eosdem Ge-  
 orgio Calamino, qui lectione eorum ita inflammatus  
 est, vt mox scripto Epigrammate illos comprobavit,  
 quod Cratoni vehementer gratum fuit. Patriæ autem  
 affectionem, amorem & merita in se ipse perquam ho-  
 norifica oratione prædicauit in proœnio consultatio-  
 num Montani: vt satis appareat, neq; pietatis curam,  
 neq; inseruendi studium, neq; grati animi motum vl-  
 lum in patriam illi defuisse. Non abiicit memoriam  
 veteris beneficij, quo adiutus, in studijs fuit, sed trede-  
 cim annis sibi benigne liberaliterq; à senatu sumtus  
 suppeditatos esse ingenue profitetur. Deinde operam  
 studiumq; suum quod nauauit Reipub. dum medici-  
 nam in patria exercuit, mercede, & honoris commo-  
 dis largiter copioseq; compensatum esse ostendit. Tum  
 laudat datum testimonium à senatu, impertitum plau-  
 sum, ac gratulationem factam eo tempore, quo in aula  
 Cæsarea locum honoris, muneris, atq; splendoris exi-  
 mij adeptus fuerat. Quocirca de animo eius in patriam  
 dubium nullum est reliquum. Dignitatum porro gra-  
 dus tantos consecutus est, quantos capere homo pro-  
 pe nouus, non maxima familiæ aut parentum commen-  
 datione clarus potest maximos. Nam vt taceam insigni-  
 a, quæ ipsi tributa sunt amplissima, quanti hoc æsti-  
 mandum est, quod trium imperatorum Romanorum  
 à *æxiare* siue medicus intimus fuit? Ferdinandi,  
 Maximiliani & Rudolphi, nempe patris, filij & nepo-  
 tis Tanta equidem felicitas paucis contigit. Caspar  
 Schlickius trium imperatorum Romanorum, Sigif-  
 mundi,



mundi, Alberti & Friderici III. Cancellarius fuit. Ambrosius Pareus quinq; regibus Gallicis operam fedulam & iucundam se nauasse scribit. Et sunt alij, qui proxime quidem accessisse ad hanc Cratonis fortunam videntur: Verum in intima consuetudine tot Cæsarum Romanorum hæfisse, quiddam singulare & eximium esse prorsus mihi videtur. Quod ipse quoq; Crato diuinæ gratiæ atq; felicitati acceptum retulit, & versibus his expressit atq; declarauit, quos paulo ante obitum incidendos in æs curauit, quod effigiem ipsius cōtinet.

*Cæsaribus placuisse tribus non ultima laus est,*

*Me pater hac ornant, filius, atq; nepos.*

*Consilijs usum rectis mens conscia gaudet:*

*Testis & ars medica, testis & inuidia.*

Apparet eum gloria hac, siue laude factorum suorum, & testimonio præstantissimorum imperatorum lætatum esse non immerito. Iccirco cum amicis passim in Belgico & alibi effigiem hanc cum epigraphe adiuncta libenter communicauit. Deinde in Cæsareæ maiestatis Senatum sacratissimum cooptatus est, vt imperatoriæ maiestatis consiliarius haberetur & nominaretur. Quæ dignitas vt à summa, post Dei altissimi thronum, in terra honoris sede proficiscitur: ita plurimi etiam est facienda. Tum comitem sacri palatij primum Maximilianus II. fecit, Rudolphus vero II. clementissime confirmauit: vt facultatem & potestatem haberet faciendi & creandi doctores tam ciuilibus iuris, quam Philosophiæ, & medicinæ. Ea tamen lege, vt in legitimo prius examine à tribus eiusdem facultatis doctoribus eximijs probe explorarentur, censerentur & cōprobarentur: assignando & tribuendo ad hunc modū  
examinatis







efficit, quam ut eximium eum esse demonstret, cui aduersatur? O miserum ergo Cratonem, nisi tela morsusq; inuidorum sensisset. Contra verò felicem, qui inuidos, obtrectatores, & aduersarios tot habuit. Nihil hic querelis proficitur, contemnendum est hoc genus hominum inuidia æstuantium animo celso, dandaq; opera, ut ne moueri quidem stimulis illorum cæcis & vanis videamur. Quod fecit quidem Crato, sed oppressus interdum vix dolori restitit. Aliquando verò iterū erectus, ac probe confirmatus inuictū se ostendit.

Intelligi potest, ex narratione Ioachimi Camerarij de vita Melanchthonis, mature concitata esse nonnullorum odia, & exarsisse inuidiam in Cratonem, ut non immerito queri & ipse de inuidiæ morfu videatur in epitaphio & alibi. At, credo, inuidorum & maleuolorum turbam longè superauit amicorum copia, quos in omnibus pene Academijs & Rebuspublicis bene constitutis habuit: ut nihil de aulis dicam, in quibus multorum studia, ac propensas in se voluntates sensit. Ac inter philologos quidem alius nemo fuit, quemadmodum ante ostendi, cum quo sæpius per literas collocutus sit, quam Ioachimus Camerarius, Lipsiæ Academiæ professor primarius. Post Camerarium familiarissime vsus est philosophis, medicis, & iurisconsultis summis, Conrado Gesnero, Theodoro Zuingero, Huberto Langueto, Casparo Peucero, Mattheo Vuesenbecio, Ioanne Sturmio, Ioachimo & Philippo Camerarijs, Ioanne Stigelio, Erosmo Rudigero, Ioanne Sambuco, Thoma Hubnero, Ioanne Caselio, & alijs pene innumerabilibus. Inter aulicos verò collegas medicos plurimi fecit Iulium Alexandrinum



drinum Tridentinum, & postremis annis Petrum Monauium, cum quo præ cæteris de rebus medicis sæpe multumq; communicauit.

De ciuibus vix vllus ei fuit familiarior, præsertim postremis vitæ annis, quam Iacobus Monauius, cuius ingenium, probitatem, virtutem, candorem, industriam, fidem, iudicium & eruditionem vehementer amabat & prædicabat. Cui etiam præ cæteris libertatem in monendo, & commoditatem in consolando tribuere solebat. Valdè etiam miratus est, & vnice dilexit diuinum ingenium atq; iudicium, addo etiam doctrinam summam cum moribus suauissimis coniunctam Nicolai Rhedingeri filij, quem decus & ornamentum patriæ summū nominare solebat. Quid dicam de Petro Vincentio, & Ioanne Aurifabro? quorum illum propter eximiam dicendi docendiq; facultatem, hunc verò ob excellentē in omni doctrina philosophica scientiam & egregiam scripturæ cœlestis cognitionem modestia admirabili temperatam in oculis per omnem vitam tulit. Mortuus est autem vterq; ante Cratonem, Aurifaber quidem in sancto pastoris munere, Vincentius verò in scholæ eiusdem Reipub. gubernatione. Ex theologis carissimum habebat, maximeq; admirabatur propter sapientiam eximiam & summam eruditionem Zachariam Vrsinum, ciuem suum, cui etiam sæpissime scripsit, & credi committiq; sua omnia rectissimè posse existimauit. Præter cæteros autem in aula Cæsarea maximè dilexit Petrum Hackel, solutionum aulicarum magistrum, virum grauitate, fide, integritate summa præditum, ac Ioannem VVolzogen, præfectum imperialem equitum celerum, cui tantum tribuit, vt in intimis suis



habendum, ab eoq; consilium in rebus & negocijs fere omnibus petendum duxerit. Proximus erat, & ædium vicinitate iunctus in patria Andreas Duditius Cæsareæ maiestatis consiliarius, cuius magnificentiã, eloquentiam, eruditionem & humanitatẽ maximè memorabilem venerabatur, & suspiciebat. Carum habebat Ioannem VVoyffelium, illum, qui Rudolpho II. Rom. Imper. in morbo graui & periculoso medicinam adhibuit, & successu admirabili eum sanauit. Huic etiam gradum atq; insignia Doctoris in arte medica tribuit. Familiariter utebatur quoq; fratre eius, Sigismundo VVoyffelio, poliatro Vratislauensi, ingenio, doctrina, prudentia, & vsu antecellente. Nec minus etiam Paulo Fridevaldo Reipub. eiusdem medico solerti atq; industrio. Multum præterea & de multis per literas egit cum Lazaro Suuendio, cuius etiam delectari epistolis vehementer solitus est, propter admirabilem & prope diuinam sapientiam, qua refertas illas esse dicebat.

Iam quid de exteris dicam, quos ille amicos habuit plurimos? In primis multũ ei negocij fuit cum Paulo Manutio, & eius filio Aldo, qui etiam compatrem eum sibi esse voluit. nec parum etiam dilexit Petrum Victorium, quem inter omnes doctos Italos germanorum amantissimum nominare solebat, item Hieronymum Donzellinum, Hieronymum Mercurialem, Antonium Riccobonum, Carolum Sigonium, Heinricum Stephanum, & apud Belgas Abrahamum Ortelium, aliosq; complures, quos enumerare nihil attinet: cum satis id constet, fere eruditum nullum vsquam fuisse, cum quo Cratoni non necessitudo, aut vsus aliquis intercesserit.

De moderatione porro & liberalitate eius dicam, sed.



sed parcius, ne quis vitæ & morum illius gnarus orationem meam redarguat. Dicam tamen quod res caussaq; fert, atq; postulat veritas. Nec metuo hic repræhensionem eorum, qui non nisi *εὐφρονα* de viris magnis scribenda ducunt, & secundum Pindarum, pulcra foras vertēda, deformia verò occultanda censent. Tales enim non attendunt, quid officium aut lex historiæ requirat. Quod si contumelia aut iniuria esset, vicia non minus quam virtutes, male non minus quam recte facta præstantium virorum conscribere: non video, quo pacto crimen contumeliæ aut iniuriæ effugere possint auctores factæ & profanæ historiæ, & oratores etiam summi, Demosthenes & Cicero, poetæ item, Homerus & consimiles, qui, pro vt res sese dant aut offerunt bonæ vel malæ, ita orationem de illis habent.

Nihil autē hoc affirmare dubito, quod Crato ipse scribit, suam vitam & mores à vanitate & assentatione alienissimos fuisse. Quod sane ad laudem viri vehementer pertinet. Vsurpauit etiam symbolū, quale sapientes solent, & moderati homines: *IRA E MODERERIS ET*  
*ORI.* Quod pictura gigantis nudi expressit, qui manu sua os leonis comprimit. Vsurpauit crebris sermonibus vocem præceptoris sui Montani: Sapiamus vt pauci, loquamur vt multi: quæ viro magno in primis digna est. At morosior atq; Stomachosior aliquibus fuit visus, quam vel ratio vel sapientum præscriptum postulat. Quibus respondeo, non angelum, nedum Deum quendam fuisse Cratonem, sed more aliorū hominum suos habuisse næuos, quos qui odit, homines ipsos odit, vt habet Plinij Iunioris apprime ad vitam necessarium dictum. Fingit natura alios Demeas duros, alios Mitio-



nes placidos, humanos, faciles. Vtrumq; naturæ munus est. De Cratone verò hoc sine vlla dubitatione confirmauerim, eum quicquid iracundiæ aut morositatis natura ingenerauerat, studio & exercitatione quanta potuit maxima, comprimere atq; tollere conatum esse. Et si igitur irritabilis fuit illius animus, & facile flammam indignationis & iræ cōcepit: placabilis tamen fuit, nec diuturnas similitates aut inimicitias cum vlllo gessit. Contra reperias alios ita amaros, vt omnia stomachentur, nec odia aut inimicitiam semel susceptam vnquam deponant. Qualem fuisse Achillem ex Homero possumus cognoscere. Et in historijs *δυσπρόσοδος* Nicias, *δυσόμιλος* verò Demetrius fuisse perhibetur.

Quod si etiam restrictum atq; tenacem illum quispian forte dixerit: is meminerit, non vnum esse exercendæ liberalitatis modum. Quos igitur pecunia non iuuat Crato, ijs consilio, opera, & quibuscunq; rebus potuit, commodauit. Vespasianum legimus adeo illiberalis & sordidi quæstus cupidū fuisse, vt corradendæ pecuniæ causa rapacissimis hominibus tanquam spongijs ad exigendum vectigalia vsus sit. Quin vrinæ etiam vectigal imposuit, & dulcem ex re quauis quæstum esse iudicauit. Quod de alijs etiã viris summis accepimus: vt satis appareat, neminem esse mortaliū, quem non possis aliqua in re cernere suffenū. Quid ergo? Hic decurrendum est ad humanissimum Ciceronis præceptū: **Nobis inter nos nostra sunt vitia toleranda.**

Ac si maxime aliquid vitij vel à natura, vel à studio habuit, ob quod culpari forte possit: magis etiã reprehendendi, qui turpi quadam leuitate simulant beneuolentiam erga omnes, cumulate studia & officia deferunt,



ferunt, sed promissum nullum efficiunt. Audiui ipse lenem & mollem eius querelam, nulla acerbitate aut malevolentia suffusam de aduersarijs quibusdam nouis, quos nulla re laceffisset. Aduersus hos profecto incōsideratum ex ore eius nihil quicquam exiuit. Neq; enim minas iactauit, nec etiam vindictæ cupiditatem ullam præ se tulit. Quod mihi documentum patientiæ non contemnendum in homine videbatur.

Monumenta ingenij, quæ licet ipse mandauit, nihil attinet commemorare, cum legi cognosciq; ab omnibus possint, ac iudicari etiam. Mihi, omnino si quid pronuncianđū est, videntur scripta huius viri maxime esse *διδασκαλικά*, & verbis atq; sententijs antiquitatem redolere, vel certe ad eam proxime accedere. Vere enim *εἰς τὴν ἀποβόησιν τῶν λέξεων προσήνεγκε*, quod faciendum esse sapiens Zeno iudicauit. Plura autem partim incoata, partim absoluta in commentarijs bibliothecæ suæ philosophicis, historicis, medicis, & theologis libris refertæ, reliquit. Thesaurum equidem hic, vt nihil dicam amplius, reperias tantum, quantum nec consequi animo, nec complecti verbis facile possis. De quo vtinam prodeant aliquando, quæ magno vsui esse Reipub. Christianæ poterunt. Quod vt fore confidam, mouet me singularis filij Ioannis Baptistæ Cratonis erga literas amor, & ad augēdam communem utilitatem impetus atq; ardor. Voluit omnino vitam Ioannis Baptistæ Heincelij Augustani conscribere, quo & officium & cultum amico suo debitum tribueret, & simul suæ etiam vitæ curriculum designaret. Ac vtinam transfigere negocium per fata licuisset. Nihil enim dubito eum præclara multa de rebus suis, de veteribus amicis, & de



& de superiorum annorum actis inserturum fuisse, quæ erudire omnem posteritatem potuissent. Sed quia mors consilium eius præuenit: idem tumulus, qui corpus eius contexit, hæc etiam cum multis alijs obruit. Cœpit quoq; commentarium scribere de omni genere contagij, & alia multa, quæ ut proferantur in lucem, Reipub. interest. Quæ verò exarauit medica consilia, & eiusdem generis alia, ea se curæ & fidei Ioachimi Camera-rij, & Petri Monauij committere & commendare multis ante obitum scriptis literis sæpe testatus est.

Quod superest, bene vixisse Cratonem existimo, quoniam ita vixit, ut patriam iuuerit & ornarit: ut toti imperio Romano profuerit, dum tribus imperij Romani Cæsaribus operam bonam, vtilem, & gratam nauauit: ut ad communia studia philosophiæ & medicinæ multum opis attulerit: ut quibuscunq; potuit lumen ingenij & consilij sui, tam in curanda valetudine, quam in profligandis morbis porrexit. Gratia igitur habenda est DEO propter beneficia, quæ per hoc organum suum tribuit. Tum ipsi quoq; Cratoni ea pietas præstanda est, ut memoriam illius memoritorum nulla in animis nostris deleat obliuio.

**F. I. N. I. S.**

**NOBILI**



NOBILI VIRO, EXI-  
MIA LAVDE INGENII,  
VIRTUTIS ET ERVDITIONIS  
ANTECELLENTI, DOMINO NICOLAO  
NICOLAI RHEDINGERI in SLEISA, inclyti  
Senatus VRATISLAVIENSIS præfecti filio, Do-  
mino obseruando, & amico  
optabili. Sal.



I virtus, secundum Cicero-  
nis doctrinam, amicitiae genitrix &  
nutrix est: non est quod mireris,  
vir nobilis, & omnibus naturæ atq;  
fortunæ bonis ornate, vnde amor  
in te meus exarserit. Virtutis enim  
atq; adeo omnis doctrinæ libera-  
lis non solum præconium tributum, sed etiam graue  
testimonium tibi à Ioanne Cratone impertitum est.  
Huius igitur viri iudicium cum, vt decet, plurimi faci-  
am: sentio indies incendi & augeri in animo meo amo-  
rem, desiderium, atq; admirationem excellentis illius  
tuæ virtutis, & interiorum literarum, quibus Cratonis  
mentem ad tantam spem atq; opinionem erexisti, vt  
ornamentum te patriæ appellare non dubitarit. Acce-  
dit ad Cratonis testimonium consentiens vox tot ho-  
minum, qui istinc ad nos veniunt, & vno ore, vna men-  
te ingenij tui acumen, intelligentiæ vim, doctrinæ co-  
piam, & iudicij dexteritatem, cum temperatis mode-  
ratisq; moribus coniunctam prædicant. Quo sane ma-  
gis amo-

F

gis amo-



gis amoris ac desiderij tui æstus in me cumulatur. Quid verò est amare, desiderare, & admirari, nisi desiderij mitigationem aliquam honestam quæras, aut consecutum etiam aliquando confidas? Remedium porro ad leniendum desiderium mihi hætenus nullum fuit visum commodius, quam per epistolam hanc compellatio, quæ testis animi, amoris ac studij in te mei esse posset. Quamobrem duce & auctore Ioanne Cratone, aditum mihi ad te hac breui appellatione patefaciendum esse arbitratus sum, vt ad reliqua, quæ de tua amplitudine mihi summa polliceor, maiori fiducia aggredi queam. Ea verò sunt, par inter nos & mutua benevolentia, necessitudo, gratia, & officiorum studiorumq; vicissitudo, quæ amicitiam alunt ac continent. Quæ quidem de te spero, de me verò polliceor. Cæterum de meditationibus Cratonis, quibus hanc ad te epistolam præposui, commentatio iucunda fuerit, si cum ijs conferantur, quæ Plato in Phædro disputat de mortis meditatione, quam præcipuum philosophi munus esse asserit. Est enim collatio talis, scilicet pia & sobria coelestis doctrinæ & philosophiæ non minima pars sapientiæ eius, in qua exerceri humana ingenia conuenit. Verû de his alias. Vale. Lips. Cal. VI Ibris, Anno Christi 1586.

*Matth. Dress.*

MEATH-



ΜΕΛΕΤΗΜΑΤΑ  
 IO: CRATONIS  
 A' CRAFTHEIM: III. IMPPP.  
 CÆSSS. AVGVSTISSS. Conf.  
 Medici intimi, &c.



Beneuolo Lectori.

*M* Iraris, morbo oppressum me scribere versus,  
 Qui Musis rarò deditus antè fui,  
 Nullius atq; annis triginta his carminis autor  
 Dictus, dum medicis me miserè excrucio.  
 Desine; Non facit ingenium, non impetus, illa,  
 Musarum, dictat morbus at ista mihi.  
 Res satis ostendit. Quid enim nisi tristia pango?  
 Cum morbo lucta est nocte dieq; grauis.  
 Vnica & hac cura, ut possim sic morte lucrari  
 Vitam, atq; hanc animam ritè probare DEO.  
 Credo probat. CHRISTVM nam specto Patris amorem,  
 In quo cuncta placent, solus & ille placet.

CHRISTO VIVO SACRVM.

*C*esaribus vixi tribus intimus arte Medendi,  
 Me Pater acciuit, Filius, atq; Nepos.  
 Quem mihi iactato das portum, Christe quietis  
 Hunc teneo, iungas dum mea membra tibi.

F 2

Vt sine



¶ *V*T sine Sole dies, & nox sine luminis usu,  
 In tenebris mentem tristitia afficiunt,  
 Et vitam insuauem reddunt, si per breue tempus  
 Isto viuendum sit sine luce modo.  
*N*i somnus placidus, falsa sub imagine lucis  
 Soletur, dum animum somnia ludificant:  
 Sic Lux nostra, *D*EVS simul est caligine tecta,  
 Sollicitè mentes omnia terrificant.  
*A*ut si fortè aliquid falsa inter gaudia vite  
 Delectat, somno est hoc volucris simile.  
 Isto etiam peius, si mentem pergrauat, atq;  
 Infelix corpus mergit in exitium.  
*A*t Lux ipsa *D*EVS, tenebris, & morte remotis.  
 Securam cum dat corporibus requiem;  
 Tunc mens cœlestis leta, & viua omnia cernit,  
 Et sociam massam gestit adesse sibi.  
 Sed tamen hanc optat renouari, ut illa tueri  
 Fulgorem possit lucis amica *D*E I.  
*E*XORIARE, precor, Lux optatissima Christe,  
 Iustitie Sol, ô vita beata, pijs.  
 Et iungas tua membra tibi, ô felicia membra,  
 Quae aternis fulgent perpetuisq; bonis.  
 Tunc exultabunt, quibus hic confidere Christo  
 Cura fuit, vitam & posse probare *D*E O.  
 Tunc tenebrae nulla, nulla intermissio lucis,  
 Gaudia sed vite plena perennis erunt,  
 Mille mihi linguæ si sint, non dicere possent,  
 Nostra salus, Christus, quam beet immeritos,  
 Illius at meritis tectos, & sanguine mundos  
 Innocuo, sordes quo abluit ipse meas.

Me



Me potas, pascis gestasq; in corpore viuo,  
 Aeternus vigor hinc in mea membra venit.  
 Sic me, dum iaceo, dum spem confundo querelis,  
 Infirma solor, Christe benigne, fide.  
 Succuras misero, fer opem, solatia praestes,  
 Luce tua in tenebris, Ne rogo, destituar.  
 Hec est summa mei voti, hoc mens orat, & optat,  
 Vt tua Lux, mea Lux sit mihi perpetuo.



Hanc animam, qua morte tua, mi Christe, redempta est,  
 Commendo viuus, trado tibi moriens.  
 Suscipe anhelantem, terroribus eripe mortis,  
 Luctantemq; iuues, numinis auxilio.  
 Nullus in hac lucta consistit, Tu nisi victor  
 Auxilium praesens, Optime Christe, feras.  
 Ergo mea vita cum extrema aduenerit hora,  
 Hec anima in manibus viuat, agatq; tuis.  
 Sic duce te vincam, sic vitam morte lucrabor,  
 Sis modo praesto mihi, simq; ego praesto tibi.




O toties, mi Christe, meos miserate labores,  
 Nunc etiam miserum respice, & adfer opem.  
 Adfer opem solus, quam praestas, quaq; benignè  
 Ipse facis, Differ ne precor auxilium.  
 Vel tibi si visum est, Animam hanc educere, praesto  
 Sis mihi, simq; tibi non dubitante fide.  
 Nec prius hac tua vox à me quàm vita, recedat,  
 Quae vita aeterna spem mihi, Christe, facis.  
 Hoc precor, hoc potero dum quid sperare, precabor,  
 Optatis faueat Spiritus, oro, tuus.





Spiritus hoc corpus quod agit, quod vescitur aura  
 Vitali: Munus, Christe, tuum fateor.  
 Hoc quoque putrescens si vis superesse Cadaver,  
 Depulsis morbis, tabida membra leua.  
 Non aliud cupio, quam vera dona salutis  
 Huic anima, Et si Tu, quod precor, ipse probas.



Quod spiro, spero, quod & hac quoque tempora viuus  
 Attigerim, acceptum Christe tibi refero.  
 Si miserum hoc etiam vis conseruare Cadaver,  
 Opto, sed ut laudi seruiat, opto, tua.



Vita bonum est ingens, sed si lux deficit illam  
 Perpetuo, Quantum vita putanda malum?  
 Heu mihi ni Christus noua Lux, & vita fuisset,  
 Ac sibi fidenti donet utrumque bonum.  
 Ergo in me viuas, ut & in te viuere possim,  
 O vita, o mea Lux, o mea Christe salus.  
 Sic mea dum vita hac, te dimittente, recedet,  
 Vita aditus, felix exitus huius erit.



Quid metuis mortem cum Christus sit tua vita,  
 Atque aditus, vitæ hic exitus, alterius?  
 Peccatum satis est, veniam meruisse paternam  
 Innocuo Christum sanguine, nostra salus.  
 Aeterna ut sperans humana relinquere promptus  
 Sim, Christe efficias, pro bonitate tua.  
 Nam prestare potes solus, Natura repugnat,  
 Ponere cui durum est, quæ placuere diu.



Nil



*Nil miserum, vita certus si in morte recedis:  
Hic miser est, vita qui dubius moritur.*

*Vita hominis labor est peccandi, & dirus habendi,  
Cuius in his terris vix satur esse queas,  
Ni benè subueniat sacri meditatio verbi,  
Caelestis vita quod tibi monstret iter.*

*Da Pater, ut cupiam miseros finire labores  
Peccandi, & placida mente quiete frui,  
Dum me, dumq; alios Christus sibi iungat, & unum  
Efficiat corpus, quod caput ipse regit.*

*Mens aeterna piè sibi dum persuadet, & optat,  
Humana ex animo delet, & orat opem.  
Placatumq; D E V M confidens sanguine Christi.  
Ingreditur moriens leta, salutis iter.  
Ac spe non dubia, rediuiua hæc membra relinquit,  
Dum renouet Christi, corpora nostra, dies.*

*Latus ut exacto deponis membra labore,  
Sic eadem moriens pone, iubente D E O.  
Nec dubites Christum tibi post rediuiua daturum,  
Corporis hoc, rediens, cum renouabit opus.  
Et labor, & dolor hinc anima, quin corpus & ipsum,  
Donec in hac vita est, nil requietis habet.  
Tristitia, morbis, curis, multisq; periclis,  
Annua transegi tempora plena, miser.  
His nec quæ restant metas, aut tempora pono,  
Vnum oro, ut præsto sis mihi Christe D E V S.*

*Deseror*



Deseror heu ; Sed desertum quoq; te, angeris ipse  
 Morte tua vitam cum mihi restituis.  
 Esse tamen Patrem tecum, fiducia firma est,  
 Te mecum, hac eadem me iuuet, esse Hominem.




Servo adhuc, mea vita, tibi, cui viuere dulce est,  
 Hic iaceam, seu te, Christe, iubente sequar.  
 Tu viuis : Tibi fidentem haud in morte relinques,  
 Ipse caput tua cum viuere membra velis.



Ab dolet esse reum, Sed cum sis victima factus,  
 Christe, meum meritum es, veraq; Iustitia.  
 Corruptaq; pius massa huius damna leuabis,  
 Nam facis hanc sociam corporis innocui.  
 Sancte Pater, sic me reuocas, sic reddis honores  
 Cæli, sic vitam tu mihi restituis.



Aeternum spectans, longum nihil esse putabis,  
 Vitaq; in his terris longa, futura breuis ;  
 In qua cum certum nil sit, nec & vlla diu res,  
 In Christo eterno, viuere disce, D E O.  
 Segnis in hoc fateor sum, Me caro pergrauat ista,  
 Fortis ut hanc possim vincere, Christe, iuues.



Quæ patior, certa sunt hac mihi signa salutis,  
 Et quod agas mecum, pro bonitate D E V S.  
 Temporis exigui pœnam exigis, ut tibi serues  
 Semper, sic Morbus testis amoris adest.  
 Quin tua mors meritum vite est, Christe hoc mihi dones  
 Cum gratis, merito nullo ego destituor.



Iam



Iam cursu duodena suo bis signa peregit  
 Phæbus, dum iaceo, & multa ferenda fero.  
 Non tamen addubito, quin sit mihi Christe paratum  
 Auxilium, Differs, velle tuum patior.  
 Ut patiar placidè, & finem sperare laborum  
 Possim, me oro iuues, pro bonitate tua.  
 Omnia habent finem: Diuina, & magna potestas  
 Vnica, per Christum sine modoq̄, caret.



Annua iam Phæbus bis tempora lapsa peregit,  
 Atq̄, instat tristis tertia semper hyems,  
 Natalisq̄, dies, decies repetita per annos  
 Senos, his aderit mox comitata tribus.  
 Christe faue, & si adsunt extrema hæc tempora vite,  
 Sis mihi perpetuæ Dux, precor, ipse nouæ.



Fac DEVS, ut mortis cum præfniueris horam,  
 Non prius hanc optem, quam venit, aut metuam.  
 Sed fugiam, quæ tu prohibes, & pectore fixus  
 In meritis Christi, lucra mihi hæc statuam.



Fide Deo, & vitæ huic commendes tempora, lapsos  
 Nec numeres annos, stat sua cuiq̄, dies.  
 Hanc non præcipites curis, nec pectora frangas,  
 Euenient, quæ vult, constituitq̄, DEVS.



Vive DEO, vitæ huic metas nec tempora pone,  
 Quæ statuit certò, cum volet, euenient.  
 Tu placidè expecta, & precibus modò perge, Rogatus  
 Hac faciet tibi, quæ plena salutis erunt.



G

Omnia



Omnia tempus habent, Miseri prolatio vita  
 Temporis est, Tandem mortis & hora venit.  
 Sed venit, & vita hac quam Christus morte paravit  
 Dux vita, hac possim da mihi, queso, frui.  
 Credo fruar, nescit remanere in pulvere corpus,  
 Sis caro de nostra cum quoq; carne D E V S.  
 Atq; hominem caelo subuexeris, Ipseq; tecum  
 Membra tui sancti corporis esse velis.  
 Ergo licet totus terra obruar, atq; sepultus  
 Putrescam, viuam, me reuocante D E O.

Tunc, cum nulla salus certam sperare salutem,  
 Atq; reus cum sis, non tamen esse reum.  
 Hoc opus est Christi, qui soluit lytra Parenti,  
 Sancita est cuius sanguine nostra salus.

Per decies senos, & tres etiam insuper annos,  
 Natalis orta lux redit.  
 Salue optata dies: redeant in pectora vires,  
 Verè ut D E O grates agam.  
 Et superest vita si quid mihi temporis huius,  
 Vitam malè actam corrigam.  
 Id totum impendens diuinis laudibus, Ipse  
 Christoq; iungar arctius.  
 Ille meum vitium tegat, hinc virtute gubernet  
 Sua vager ne deuius:  
 Sed Christum amplexus, diuino & numine fultus,  
 Hunc viuus, hunc moriens sequar.

Certam, non notam, mortis tibi vult Deus horam,  
 Vt te ad certa pares, tutaq; nulla putes.

Sed:



*Sed prasens cures, & discas ferre ferenda,  
Adq̄, D E V M referas cuncta pijs precibus.*



*Sunt nulla in tenui reliqua mihi corpore vires,  
Fortis at est idem, qui fuit ante, D E V S.  
Hic viuum seruare potest, hic reddere vitam,  
Dum miserum hoc corpus nil nisi puluis erit.*



*Vita D E I donum est, multis obnoxia curis,  
Quas intemperies nostra ciere solet.  
Fœlix cui cura est, vitam committere Christo,  
Immemor officij non erit ille sui.  
Ibit ouans animo, sic per mortalia letus,  
Ille in complexus, Christe benigne, tuos.*



*Mortem quæ faciunt beatiorem,  
Mi charissime Christiane sunt hæc.  
Per Christi meritum parata vita,  
Placatusq̄, Deus tibi paternè,  
Dum natum statuis ducem perennis  
Vitæ, hunc & cupidè sequi laboras,  
Certam non dubitans obire mortem,  
Nec Christo miserum putans recepto,  
Cruce quamuis comitetur hunc beata.  
Ergo tristia cum prement ubiq̄,  
Sic vitam institues iuuante Christo,  
Vt fidus placidè feras ferenda.  
Et certò statuas nihil nocere  
Inuito tibi posse Patre summo.  
Atq̄, in vota Sacrum vocare numen  
Sic semper studeas, Deiq̄ verbo*



Totum subijciens sequaris illud,  
 Te Christi in numerum sciens relatum,  
 Ac membrum caput hoc quod usq; seruet.  
 Isto si fueris modo paratus,  
 Mundi & delitias nihil putabis,  
 Dux vita tibi reddet ipse vitam,  
 Cœlesti faciens honore dignum:  
 Mortem ne metuas nimis, nec optes.



Interitum si mens curis putet anxia mortem,  
 Et pavor atq; horror mortis abesse nequit.  
 At si, quod verè est, sit commutatio veram  
 In vitam, simul & suaue quietis opus.  
 In quo peccandi cesset labor improbus, ut post  
 Spiritus ille nouus membra nouata regat.  
 Tunc facile est, tristes animi componere curas,  
 Et placide Christum mente per arcta sequi.



Dux vita, victor mortis, da nescia vinci  
 Pectora, presentem dum intentant omnia mortem,  
 Horret & in tenebris dum mens, tu lumine vita  
 Sis præsto, vultu & miserum solere paterno.  
 Atq; iuues nimia peccati mole grauatum.  
 Dum tuus ille agnus pro me mea crimina gestat.



Omnis in hoc atas mundo est obnoxia Morti,  
 Quilibet & morbus, quod verearis, habet.  
 Tristis at imprimis terroribus acta senectus,  
 Horret, & accelerat sic sua fata sibi.  
 Ni statuatur Christum viuum sua membra tueri,  
 Et caput in cœlis esse, fore atq; potens.

Hoc



Hoc igitur, si quid vel amandum, vel metuendum,  
Tu metuas vivus, tu moriturus ames.



Auge ô Christe fidem mihi, Nil peto, & amplius opto,  
Qua fero enim, pœna sunt fidei exigua.  
Cogito perpetuò Mortem, Quæ vita futura  
Sit, parcè heu nimium quàm subit hunc animum?  
Ah utinam detur fidei, & mihi mentis ocellos,  
In vitam totos figere perpetuam.



Vita autor, dux vita, & spes Christe unica vita,  
Sim tuus in vita, sim quoq; morte tuus.  
Des mihi, namq; potes, tu mollia tempora mortis,  
Hanc animam manibus suscipe, quaeso, tuis.  
Hoc etiam corpus mihi reddes, cum tuus ille  
Adueniet summus, te redeunte, dies.  
Quo me Christe vocas, ut mens securâ sequatur,  
Velle tuum, facias, sit quoq; velle meum.  
Dulcis amor vita est, migrandi incerta voluntas,  
Hanc nisi confirmes, pro bonitate tua.  
Aeternæ vitæ ut sensus me pertrahat ad te:  
Peccatiq; odium Spiritus exacuat:  
Des precor in terris, quo sic cœlestia gustem,  
Ut mihi sordescant, quæ retrahunt animum.



Stulte, quid accersis mortem, dum tristia curas?  
Non prius adueniet quam DEVS hoc statuit.  
Ergo DEO vitam commendes, inq; timore  
Morte malum peius qualibet esse putes.  
Vive piè, peccata fuge, & cœlestia spectâ,  
Non graue post fuerit, sic, mihi crede, mori.





Extremum hoc multis donis, Deus ô, precor, addas,  
 Finire ut vitam vacuus curaq; metuq;  
 Hanc miseram possim, tibi quancumq; requires.  
 Ac animam cum spe vitæ sim offerre paratus,  
 Nil dubitans, partam huic in Christi morte salutem.

Displiceo totus mihi, per te Christe placere  
 Possesse tua, ornatus, me scio, Iustitia.  
 Ut me seruares, sudisti in morte cruorem,  
 Placatum satis est, sic semel esse Patrem.

Diligis è nihilo, Deus ô, quos ipse creasti,  
 Tanquam ex te natos, & tibi congeneres.  
 Et terra & factum cæli dignaris honore,  
 Dum vita donas mortua perpetua.  
 Omnibus atq; modis conseruas, sicq; tueris,  
 In totum per se perdita, ne pereant.  
 Nescia consilij mens est humana, & amoris  
 Diuini, natus ni Deus hoc doceat.  
 Cui soli æterni Patris perspecta voluntas,  
 Cuius & interpretes est pius ipse datus.  
 Is veniæ ostendit per fida oracula normam,  
 Hanc nos vult, cupida mente, fideq; sequi.  
 Tanta DEI bonitas, quam commiseratio Christi  
 Suadet, qui est factus verus homo, ipse Deus.  
 Negligit hanc si quis, nec iussa capessere curat,  
 Hunc meritò auxilio deserit ille suo.  
 Est meritum Nati satis ingens sanguine partum,  
 Debita qua soluit, saluat & immeritos.

Hoc



Hoc velis esse tuum, sitq; ut, non ficta preceris  
 Numina, sed Christi solius auxilium.  
 Hic dum nostra ciet diuino pectora motu,  
 Nos sibi coniungens, efficit esse D E I.  
 Itur in hac cœlum via, & haeres redditur ille,  
 Qui serui nunquam nomine dignus erat.  
 Hunc D E V S in Christi deuinctum corpore adoptat,  
 Viuat, ut & cœli gaudia percipiat;  
 Gaudia, quæ superant mentis, cœlestia, captum,  
 Donec in hoc misero carcere clausa manet.  
 Ah utinam exiguus contingat gustus in ista  
 Lucta, dum sitio, Christe, salutis opem.

Tertia tristis hyems nunc præterit, & noua veris  
 Tempora sunt alijs, sed mihi nulla virent.  
 Affixum lecto vis me tenet improba morbi,  
 Viuere triste meum perpetuo in gemitu.  
 At tu, summe D E V S, soleris numinis aura,  
 Viuifico & verbo tristia corda leues.  
 Aspiresq; tuum paternum fidus amorem,  
 Dum nos castigans asseris esse tuos.  
 Diligis ut natos, quos inter gaudia Mundi  
 Non nimum tutos, falsa, perire sinis.  
 Hac infirma fides meditatur, spemq; timori  
 Miscet, Tu victor, vincere, Christe, iues.

Cum mihi sit Christus diuino munere vita,  
 Vuo illo mecum non moriar moriens.  
 Is sibi seruandos nos sumpsit. Nemo perire  
 Hoc seruante potes, cum sit homo, atq; Deus.

Pone



*Pone metum, viues Anima hoc in corpore viuo,  
Mentiri nescit vox tua, Christe DEVS.*



*Seruor nunc etiam morbo confectus, & annis,  
Et tantum viuo munere, Christe, tuo.  
Omnia cum mortem intentent. Patientia vincet,  
Tu modò des placidè, te feriente, pati.  
Non casu eueniunt Morbi, aut incerta vagatur  
Mors, sed in arbitrio sunt, D E V S, ista tuo.  
Tu pius euentum prestas, & cuncta gubernas,  
Ergo mihi solus, quam potes, asser opem.  
In media vt viuam, te vitæ autore iuuante  
Morte, per ærumnas gaudia vera petens.  
Si tamen hæc tua fert, seruator Christe, voluntas,  
Longius in terris vt tua iussa sequar.  
Fac per agam, quæ vis gratus, studeamq; referre  
Ad te, quæ mea mens concipit, atq; agit at.  
Sic tibi persoluam, quas tu mihi numine sacro  
Inspiras grates, sic benè gratus ero.*



*Huius, Christe, animæ vita & pars corporis huius  
Summa, Tuo in terris munere viuus ago.  
Tertia cum videat me hæc æstas ferre iacentem,  
Et senij, & morbi quod graue sentio onus.  
Non medica seruor, nec morbidus adiuuor arte,  
Humana & cessant omnia præsidia.  
Tu mihi summe D E V S medicus, Tu vita salusq;  
Dum præstò es, vita non ego destituor.*



*Si vitam hanc spectes, me sic vixisse putabis,  
Vt sim per paucis conditione minor.*

*At si,*



*At si: summe Deus, quam turpis, & ipse pudendus  
 Sim mihi contueor, flensq; gemensq; queror,  
 Sed tu me aspicias in Christo, Qui tibi verè  
 Cum placeat, placet & tristis imago mea.*



*Arcanas Regum res vt mecum sepeliri,  
 Viuere in arcanis sic mea cura D E I est.  
 Si probitas posset Medicis absq; arte potiri,  
 Sciret & hac omnis, qua scio, crede, probus.*



H

EPITA-



## EPITAPHIUM CRATONIS

**H**ic fractus senio, durisq; laboribus aulæ,  
 Quos sub Cæsaribus non sine laude tribus  
 Pertulit, ille Crato medicorum hoc tempore princeps  
 Est situs, ô fidus Bratisilea tuum.  
 Rara viro virtus, constantia rara, fidesq;  
 Et pietas rara cum grauitate fuit.  
 Exquisita etiam doctrina, & cognita magnis  
 Ingenio, eloquio, iudicioq; viris.  
 Quos inter nostro ceu Sol Camerarius æuo,  
 Emicuitq; iubar magne Philippe tuum:  
 Emicuere alij, quibus omnibus iste probauit  
 Doctrinam, & genij scripta fidemq; sui.  
 Inprimisq; seni nugis valedicere mundi,  
 Et meritis Christi fidere cura fuit.  
 Illius & dulci veluti tabescere amore,  
 Quod Cygnea eius carmina sacra probant.  
 At nunc votorum compos victorq; suorum  
 Mente ouat, in tumulto corpus inane animæ.  
 Expectat reditum Christi, atq; è marmore clamat,  
 Prorsus in humanis nil stabile esse bonis.  
 Quocirca æternæ patriæ quærenda cuiq;  
 Gaudia, vbi est vicibus non locus aut lacrymis.

*Nathan Chybrens.*

IN ME-



IN MEΛETHMATA CRA-  
TONIANA.

*Epigramma ad ipsum Cratonem.*

**R**os velut, ætherijs vbi matutinus ab oris  
Depluit, aridulam pingit & intrat humum.  
Prodit & humecta flos hac vbi vernus in auras:  
Affiduas operis pascit odoros apes.  
Sic & api similis, longe sed gratior intras  
Magne Crato, ingenio sacra vireta Dei.  
Qui ferit his flores, Diuum ros stillat ab ore:  
Mens legit hinc vitæ gnaua perennis opes.  
Alius api domus est: pia quæ tibi condolet ægro:  
Hic prece mel stipas, dum μελέτημα canis.  
Vos melimela seni melico: tu cede mel ipsum:  
Nescio quod nobis dulcius ille canat.

*In eadem: ad Lectorem.*

**Q**ui legis hæc magni μελέτημα sancta Cratonis:  
Morbos quæ peperit triste μέλημα senis.  
Melle tibi roseo tingi videare labella:  
Mellis & in versu vim latuisse nouam.  
Si relegas, quod erat mel, abibit nectar in ipsum:  
Sic pius vsq; nouo spirat honore labor.  
Nec mirum: ærium dum mel legit ore melissa,  
Melleus ille Crato mel Canit ætherium.

*Georgius Calaminus.*

H 2

ADCL.



AD CL. ET NOB. V.  
IACOBVM MONAVV.

DE OBITU MAGNIFICI  
VIRI IOAN. CRATONIS A CRAFT-  
HEIM III. IMPP. CAESSS. CONSILIA-  
rij & Archiatri melos Epicedion,  
Autore

Georg. Calamino Silesio.

*S*iquando tellus hospitio breuis  
Exisse vite perdoluit virum:  
Hic urbium regina amæno  
Gaudet ubi Viadro Budorgis:  
Iam tunsæ certè pectus ob vnus  
Fatum Cratonis delacrymat: comis  
Et mæsta passis ora pallent:  
Ægræq; Teutonis ora plangit.  
Et luctus hic res est socius pia:  
Quoduis rependi nam meritum decet:  
Vel mente saltem, si facultas  
Officium neget atq; laude.  
At quæ Monavi, terricolis Crato  
Herbis Machaon præstiterit suis.  
Tersus Latino Marcus ore  
Tullius, ac Elegis Tibullus:  
Felicis ipsæ sunt opera manus:  
Et nata testes mente volumina.  
Nec sera quæ corrodet ætas:  
Flamma nec ære perenniora.

*Sublime*



Sublime rerum, quid genitrix habet  
 Natura: quod non ingenio catus  
 Per nosset: aut non in minorum  
 Candidus extulerit salutem.  
 Mortale quicquid concipimus genus  
 Contage morbi: quod vomuit Styge  
 Rex dirus: ex templo medentis  
 Huius ad imperium recessit.  
 Vita Rudolphus praesidium suae,  
 Et cum verendo magnus auo pater,  
 Machaonem tres hunc vel unum  
 Dij patula coluere terra  
 Rex orbis est quo nobilior grege:  
 Caputue membris altius omnibus:  
 Plus hoc meretur laudis ille:  
 Qui caput imperij tuetur.  
 Infirma quondam gens Epidaurium:  
 Hunc peste feruens Roma vocat Deum:  
 Sic est asyllum magnus agris  
 Ille Crato patiens laboris.  
 Ac praesidem ceu consilijs iuuat  
 Orbis salubrem sic alijs opem  
 Ministrat herbis atq; verbis,  
 Arbitr in dubijs vocatus.  
 Et laude celsos quis numeret viros,  
 Olim iacentes quos vir hic extulit  
 Ad sordidas Musis sine illo  
 Quot positis operas redissent?  
 Insigniorem vix etiam virum,  
 Quacunque terra sit positus plaga.



*Mi nominaris : qui Cratonis  
 Ambierit propè non amorem :  
 Sic cor fauorem mite parit bonis :  
 Plerunque menti fastus inest rudi.  
 Dos ingeni quò maior : hoc est,  
 Quis facilis magis ac benignus.  
 Et ore quanquam dona vehi decet  
 Diuina viuis pro merito tamen  
 Sese abnuisset predicari,  
 Indigus haud cupidus vel laudis.  
 At hoc tulisset : quo licet vnico,  
 Nos altiore sumere Spiritum.  
 In numinis Sancta quod ardens  
 Perstiterit meditatione.  
 Sic par iuuentam consequitur piam  
 Quondam senatus mors comes ac pia :  
 Est sancta vita : vita mortem  
 Sedibus hinc manet in Iehoua.  
 Quamuis dolores ergo serat graues  
 Fatum viritam flebite nobilis.  
 Iacobe : fors luctum beata  
 Temperet hunc tamen, atque tollat.  
 Ad quem coacti nos rapimur scopum :  
 Hanc ille metam contigit ac trium  
 Ereptus annorum dolore,  
 Perpete iam fruitur quite.  
 Nato superstes sed tamen hic suo :  
 Famaq; viuit prapete : nobilis  
 Et ore vatum sempiterno  
 Exequias capiet beatas.*

*Nec*



*Nec est sepulto quod medico fera  
 Canat triumphum Parca: genus mali  
 Quo maius haec eructat orco.  
 Maior erit DEVS in salutem.*

EPITAPHIVM EIVSDEM  
 CRATONIS.

*Q*uem vix magna sinu germanica cepit ob artes:  
 Hoc Crato sub tumulo conditur ille breui.  
 Hunc auus & coluit post cum genitore Rudolphus,  
 Vixit Caesaribus sic medicina tribus.  
 Annos ipse tamen tres lectis ager adhaesit:  
 Tela fuit Lethi nec prohibere potis.  
 Nam sex ut messes, bis senaq; lustra peregit:  
 Vita fessus ijt letus ad ora DEI.  
 Discé mori: nulli parcit Libitina, Viator:  
 Vitaq; longa satis, qua bene clausa fuit.

L I P S I A E,  
 IMPRIMEBAT IOHANNES  
 S T E I N M A N .

Anno

---

M D. L X X V I I .



ERSTES BUCH

IMPRESSE VON JOHANNES  
STERN

M. D. C. LXXVII






No 2890.

8

VST

MC









De curriculo vitæ  
IOANNIS CRA-  
TONIS A' CRAFTHEIM,  
TRIVM IMPERAT. ROM.  
ARCHIATRI

ORATIO  
MATTHÆI DRESSERI.

*Item:*

MELETHMATA QVAE-  
DAM IOANN. CRAT. PLENA  
FIDE ET CONSOLATIONE.



Lipsiæ,

ANNO M. D. LXXXVI.

9.

ol

92

